



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Rosalia Virgo. 4. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. ROSALIA VIRGO

4. Septembris.

*Considerate Lilia agri, quomodo
crescunt. Matt. 6.*

ROSALIA, à fundo gentilitio, qui Rosa dicebatur, quòd mensibus illic singulis vernent rosæ, nomen sortita, ex principe patre, Panormi in Sicilia nata Caroli Magni de stirpe, & Sicilia regum propinqua sanguine, nobilissimis ob formam jam destinata nuptiis, palatia, opes, honores, splendorem generis, omnesque mundi illecebras, quas tanti ambiunt, fastidians, ad obviam profugit speluncam, illic illi fontana pro nectare: herbæ & radices præ condimentis, preces præ Musica, Jejunium & asperrima saxa præ plumis & lectulo nec viror arborum, flores prætorum, saliares fontes, siderum flammæ recrebant, cum solius crucifixi aspectu & amplexu se oblectaret. Angelis doctoribus decurrebat Marianas salutes, quas rosarium vocant, quod ut bullam mortua in pectore suspensum retinuit. Morienti cum matre DEI filius, cumque Angelis Apostolorum principes adfuere: coelestesque genji, ut paranymp

phi,

phi, sponsam ROSALIAM, contexto de ro-
 sis seroto, coronatam deduxere ad divinum
 Sponsum. Sic dudum vixit, à mundo deser-
 ta, coeli habitatrix ROSALIÆ anima; at cor-
 pus rosis coronatum, in crucifixi amplexu,
 Anno Christi M. DC XX V. cristallina in
 tumba repertum, sive illam paravere Angeli,
 sive quadringentis annis superfusa aqua in
 cristallum artifice natura induruit, clarè ta-
 men nobis exhibuit ROSALIAM, inter Di-
 vos contra pestem in Sicilia fospitatores, pa-
 tronam. Tu quod tumulo ejus inscriptum
 legis *Amore Domini mei*, tibi scriptum crede &
 fac omnia amore Domini tui ut æternùm
 floreas. *Ferrarius & Simon Martinus in vita.*

MEDITATIO.

De sancta Rosalia.

1. **R**osalia virtutes in lilio consideramus. Primum
 quod lilia commendat, est extersitas. S. Ber-
 nardus vocat *Lilia eminentia in floribus terra*: talis erat
 in Rosalia celsitudo animi quâ mundum generosâ fu-
 gâ supergressa est. *Deus Os homini sublime dedit cælum-*
que videre, sed quid juvat erecto in cælum vultu, &
 corpore cello incedere, si curvis animis terræ inhæ-
 remus? quis tibi effectus inest ad cælestia? nunquid
 & tibi *sordet terra cum cælum aspicias* cum S. Ignatio, vel
 è converso præ amore terrenorum sordent cælestia?

2. Color liliorum est candor & intus flavedo, AR-

GEN-

GENTO COPULAT AURUM. Candor argenteus, & paritas Rosaliæ. Si manibus conteritur lilium patitur jacturam candoris ita Virginitas reuivuit attactus: *Tactus, joci, risus, sibili moritura Virginitatis solent esse principia.* S Rosalia, ut floreret illæsa, fugit in solitudinem. Quomodo tu fugis principia morituræ castitatis? reus color interior lilii est charitas. Pretiosa auri et argento conjunctio est quam amat sponsus Virginitatis quomodo conjungis?

5. Odor liliorum allicit apes, & serpentes fugat. S. Rosalia virtutum fragrantia attraxit in obsequium purissimos Angelos: & Oratione sua avertit venenatam patrona contra pestem. Tu quoque *Christi esto hodie odor* Exemplo tuo.

S. BERTINVS Abbas

5 Septembris.

Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Matt. 19.

Quam rigidè superi animadversuri sunt in sacrarum benedictionum derisores. documento sit severa poena, quâ, sola, eam non petentis; oblivio mulctata est, ut gestum S. BERTINI referunt. Erat hic Sanctus natus Constantiæ in Germania, in Luxoviensi deinde cœnobio, in Burgundia, Monachum induit eique monasterio, postquam Abbas LVII annis præfuit, depositâ gubernatione, ad sanctam